

DE  
*TUSSILAGINE*  
COMMENTARII BOTANICI  
PARTICULA I.

QUAM

CONS. AMPLISS. FAC. PHIL. ABOENS.

PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTUNT

STIPENDIARIJ HAARTMANNIANI

*JOH. GUST. HAARTMAN,*  
PHILOS. MAG.

ET

*ANDREAS JOHANNES ORRSTRÖM,*  
Aboënsis.

IN AUDIT. MIN. DIE XXI. JUNII, MDCCXCVII.

Horis a. m. solitis.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

СУЩАЯ  
СОЛНЦОВ ПЛАВАНИЕ  
И АЛЮЧИЯ  

---

МАС

ЛЮДИ МИЛЫЕ ОСТРОВЫ  
И СОЛНЦОВ ПЛАВАНИЕ  
И АЛЮЧИЯ

---

АБОК, ТАКЕ ПАННЕКЕРНАНД



## PROOEMIUM.

Singulas, quas profert orbis quem incolimus plantas, numero ab excelsa platano ad minimum bryum, secundum certas notas & Characteres ita ordinare, ut eas quisque faciliter agnoscat negotio, res certe ardua est & a multis per plura saecula frustra tentata, donec Linneo nostro contigit Specimen ejus exhibere, praे omnibus, que ante illum proposita fuerant, longe acceptissimum. Tantum vero abest, ut existimaverit ipse se omnia, quæ in hac re præstanda erant, præstitisse, ut, perfecta licet dudum ante viginti & quod excurrit annos magna illa scientiæ botanicae reformatione, editisque libris quæ hujus operis gloriam tanto jure illi demeruerant, modestia tamen non minus laudibili moneret, præsentem tunc temporis ætatem adhuc in litteris & elementis botanicis hærere, nec videri nisi ossia referata, per quæ in posterum botanici ad immensa naturæ theatra intrent <sup>(\*)</sup>), quibus verbis certe significare voluit, systema iuum plantarum, ut cæterarum rerum naturalium, pro opere omnibus numeris consummatisimo minime esse habendum, sed potius exemplum exhibere claræ & simplicis naturam rimandi methodi, a posterioribus temporibus majorem exspectaturæ perfectionem, quam ab unius hominis ætate obtinere potuerit. Post illud quoque tempus

A

cre.

---

(\*) Vid. Diff. De Reformatione Botanices. Upl. 1762. p. 13.

2

crebra incrementa indies cepit amoenissima illa, cuius genitor nuper laudatus vir merito salutatur, scientia, collectis un-dique terrarum novis plantarum speciebus, aut veteribus pro-bius investigatis ac definitis; ex quo sperandum est aliquando fieri, ut, quibus adhuc laboret scientia botanica, defectus, cul-torum studio, sensim exuat & ab omni obscuritate & errore, quo jam merito arguitur tandem immunis evadat. Ad hunc finem obtinendum certe conferunt quam maxime fedula & indefessa partium cujuscunque plantae vel minimarum scrutinia, ex quibus liqueat, qua in parte singula genera singulaeque species a legibus in libris stabilitis notisque ibidem positis recedant vel cum iis convenient. Nullibi autem magis necessaria sunt ejusmo-di examina, quam in iis clasibus, que naturalem aliquem ordinem comprehendunt. Sic numerosa classis Syngenesia, ut omnium maxime naturalis, ita genera continet, teste ipso conditore (°), inter se distinctu difficillima, quo sit, ut in hac Classe, magis fere quam in ulla alia, plurimorum gene-rum notæ aut fallaces omnino sint, aut obscuram nimis, si cum notis ceterarum conferantur, ideam tistant. Cum autem in ge-nere herbæ, quod Tusfilaginem recentiores cum Linneo vo-cant, utrumque obtinere compererimus, operam, quam in eodem illustrando collocavimus, notitia botanicorum non indignam fore speramus, probe tamen memores, & nostrum esse, quo arguimus alios, posse errare. Hujus autem generis perfectam monographiam scribere haud contendimus. Vires certe no-straras labor iste longe superat, neque sufficit nobis librorum aut speciminum isti operi necessariorum plena copia. Sufficiat nobis meditationes nonnullas de generis hujus indole & no-tis, cum indicatione dissensionum quas, fovent varii, qui de hoc genere scriptarunt, botanici, vel inter se, vel cum ipsa na-tura

■ ■ ■

tura, litteris consignasse. Adminicula opusculo præbuerunt;  
præter varios in illo citatos Auctores, Academiæ, cuius civi-  
tate fruor, herbarium & hortus.

### §. I.

*Characterem Generis hactenus usitatum, tam naturalēm  
quam essentialēm refert.*

*Character naturalis:*

**CAL.** *commnis cylindraceus: squamis lanceolato linearibus*  
*(quindecim vel viginti) æqualibus, discum æquantibus,*  
*submembranatis.*

**COR.** *composita varia*  
*corollæ in aliis hermaphroditæ tubulosæ omnes, vel*  
*tantum in disco.*

*Feminæ aliis nullæ, aliis ligulatæ.*

*Propria hermaphroditi infundibuli formis; limbo quin-*  
*quefido (vel quadrifido), acuto, reflexo, calyce longior,*

*Feminæ nulla aut ligulata, angustissima, calyce lon-*  
*gior, integra.*

**STAM.** *hermaphroditis: Filamenta quinque, capillaria, bre-*  
*vissima. Anthera cylindracea, tubulosa.*

**PIST.** *Hermaphroditis Germen breve. Stylus filiformis, sta-*  
*mme longior. Stigma crassiusculum.*

*Feminis Germen breve. Stylus filiformis, longitu-*  
*dine hermaphroditi. Stigma bifidum crassiusculum.*

**PER.** *nullum. Calyx vix mutatus.*

**SEM.** *Hermaphroditis solitaria, oblonga, compressa. Pappus*  
*capillaris, stipitatus.*

*Feminis, si quæ, simillima hermaphroditis.*

REC. nudum.

*Obs.* Petasites T. caret flosculis ligulatis in radio, licet quibusdam feminei nudi adsint.

Tusfilago T. instruitur semper femineis in radio, corolla ligulata præditis.

Anandria pappo fessili est.

T. frigida variat floribus flosculosis & radiatis.

*Character essentialis:*

*Receptaculum nudum. Pappus simplex. Calycis squamæ æquales discum æquantes submembranaceæ.*

## §. II.

*Epicrisin hactenus usitati characteris & essentialis  
& naturalis continet.*

Contra hunc characterem varia observanda sunt. *Calycis squamæ* vix certo numero definiri possunt, In T. *alba* & *spuria*, item *paradoxa* frēpe 12 aut 14 duntaxat numerantur. (*Vid. Retz. Fosc. Obs. Bot. I & II.*) *Corollæ femineæ* adsunt, præter ligulatas, radiatæ & truncatæ, sive in eodem specimine & late & anguste ligulatæ. Dubito etiam, an limbus corollæ hermaphroditæ in ulla specie constanter observetur quadrifidus. Vox *Calyce longior* contradic̄tio est vocis supra obviæ; *squamis calycis discum æquantibus*. *Corolla feminea integræ* ineptus est terminus & falsus. Quod si de ore tubi sermo est, barbatum hoc observatur in *Farfara*, si de ligula, bæc bifida est in T. *hybrida* teste *Leersio* (⁹); & pluribus, neque semper calyce longior est, sicut exemplum exstat in *Petasite*.

tafite. *Anthera* non semper tubulosa ut in *T. paradoxa*. In hermaphroditis spariis *germen* saepe brevius est, quam in feminis. His *stylus* communiter multo longior est stylo hermaphroditorum. *Semina* hi raro, illi semper maturant. *Papus* nunquam stipitatus, nisi in duabus speciebus, quae ad hoc genus certe non pertinent, puta *T. nutantem* & *albicantem* teste Cel. SWARTZIO. Itaque *observatio* subiecta: *Anandria pappo fessili instructa*, superflua est. *T. frigida* non variat sed determinate ac necessarie in certis speciminiis habet flores & florculosos (si inepto termino uti liceat) & radiatos & ligulatos.

Character essentialis, qualis in libris Linneanis systematicis audit, satis probatus est, nec facile aliter proponi potest; mentio tamen figuræ calycis videretur fieri debere, sine qua a Baccharide vix posset distingui, cum qua tamen in ceteris parum habet commune. Difficilis autem erit hoc genus a genere Cinerariæ, cui certe proximum est definite distinguere, & fateor me huic termino inveniendo imparem omnino esse, nisi in auxilium vocaretur inflorescentia scaposa, quod tamen fundamento systematis repugnat, eodemque *T. sylvestris* e genere Tusfilaginum excluderetur, cum qua tamen adeo arte consociata est, ut pro mera varietate *T. alpinæ* habita fuerit. Inter plures illius generis species & Tusfilagines mihi notas nulla alia differentia septem partium fructificationis intercedit, quam quod stigma hæ gerant extra stamina plerumque exsertum, illæ vero intra ea occultum. Satis certe effet hæc duo genera conjungere, quæ præter similes fructificationis partes, & solum quod utrumque amat humidum, crasso similiter obvestiuntur tomento. Si vero hanc unionem prohiberet tanta utriusque generis in fructificando diversitas, ut totum genus Tusfilaginis ex ordine Polygamiae superfluæ segregari posset & in ordinem sequentem, Polygamiae nempe necessarie, trans-

■ ■ ■

ferri pateretur, utut variae rationes svadere videntur, optatis-  
sum hoc omnium eslet, & ad omnem ambiguitatem e dia-  
gnosi utriusque generis tollendam egregie certe conferret, si  
quidem pauca tum forent genera, eademque valde dissimilia,  
a quibus Tusfilago distingui deberet; quod utrum fieri po-  
tuerit, judicent, quibus singularum, quas continet, specierum  
fructificationem debita cura pervestigare continget. Interea  
sequentem proponere lubet Tusfilaginis characterem tam na-  
turalem quam essentialem, naturae illius, ut spero, magis con-  
fentaneum.

### §. III.

#### *Specimen novi Characteris proponit.*

#### TUSSILAGO.

##### *Character:*

CAL. *communis cylindraceus, in quibusdam apice connivens,*  
*squamis lanceolato linearibus, 10 l. 20, obtusis, rēqua-*  
*libus, discum subæquantibus.*

COR. *composita tubulosa.*

*Hermaphrod.* in disco infundibuliformis limbo 5fido.

*Feminea* in radio aut ligulata aut truncata.

STAM. *Quinque ori tubi hermaphroditæ floris insidentia,*  
*Filamenta capillaria brevissima.*

*Anterae* coalitæ, aut interdum liberæ.

PIST. Herm. *Germen* teres breve. *Stylus* filiformis corol-  
lam subæquans. *Stigma* crassiusculum.

Fem. *Germen* teres tubelongatum. *Stylus* filiformis  
corolla longior. *Stigma* bifidum.

PERIC. nullum.

SEM.

*SEM. Herm.* si quod, simile forte feminei.

*Fem.* teretiusculum, elongotum; *pappo simplici,* sesili,  
*REC.* nudum.

### §. IV.

*Observanda circa characterem naturalem sifit.*

**Calyx.** Hæc pars fructificationis per totum fere genus omnium constantissima optimam certe ejus notam exhibit, levi hic & illic anomalia notanda; accidit ut superiores scapi squamæ usque in calycem ascendant, calyculum, saltem ab una parte, mentientes. Sed cum istæ squamu-læ partim infra basin constitutæ sint, partim ab uno tantum latere cum vulgo obtegant, calycem neque calyculatum neque imbricatum efficere valent; discum quoque idcirco subæquare dici possunt, quod corollas plerumque longitudine excedant, stigmatibus vero flosculorum femineorum nonnunquam breviores sint, ut in *T. alba*, & forte pluribus; neque tota squama membranacea est, cum semper aliquid succulenti in medio maneat, unde color oritur mediæ squamæ partim viridis, partim purpureus, prout color est squamarum scapi, ultimo margine molli, pellucido. Glaber saepe est, tomento reliquæ plantæ, squamas, ut scapi, sic etiam calycis, raro admodum & non nisi initio forte florescentiæ, occupante. Ceterum erectus conspicitur & subcylindricus, apice interdum patente, ut in *Farfara*. Neque monere opus est, hanc assertiōnem tantum valere de floribus expansis; in *Anandria* autem, cuius mos est florem nunquam fere aperire, globosus est, & disco duplo major, vid, Diff, de Anandria Mom, 24.

*Carolla* triplicis naturæ in hoc genere observatur, nisi forte quadruplicis. Ad sunt enim interdum vel in eodem specimine femineæ corollæ & ligulatæ & truncatæ ut in *T. alpina*, parva scilicet in extremis ligula, in interioribus deficiente; atque insuper corollæ hermaphroditæ in medio dilatio infundibuliformes, ut dictum est, limbo 5 partito vel profunde 5ido, eandemque hæ formam per totum genus invariate servant. Quamquam quidem referunt dari species, quibus idem limbus adeo constanter in quatuor partes tantum divitus est, ut hanc rem pro diagnosis earum simul proponere non dubitaverint Autatores, cuius rei exemplum præbet *T. Alpina*, cfr. Scop. Fl. Carn. p. 2. 1056. Hoc vero quominus constanter obtineat eo tuius negare ausim, quod & ipse exemplar istius plantæ, in herbario Academæ Aboënsis, asservatum examinare licuit, cui hæ corollæ solito modo divisa erant, & Cel. JACQUIN testatus præterea est *Tusfilagines singulas & alpinam, & discoloram & sylvestrem* constanter habente corollas hermaphroditas quinquefidas. Cfr. LAICHARD. Veg. Europ. P. 2, p. 307—309. Eadem *alpina* etiam exemplum triplicis generis corollarum exhibet, nempe hermaphroditas in centro, femineas truncatas versus radium, & parva ligula instructas in ipso margine radii. *Tusfilaginis Farfaræ* omnes femineæ tenuiter radiatæ sunt, *albae & Petositis* truncatæ. *Spuriæ* subligulatæ seu oblique fere truncatæ. *Frigida* femineas corollas in specimenibus feminis angustissime ligulatas gerit, in masculinis, radio latiusculo, quamvis non admodum elongato, instructas.

*Stamina* in nonnullis speciebus etiam a vulgari lege recessunt; in *T. alba* specimenibus feminis, antheræ leviter adeo cohærent, ut vel leni pressione facta facile invicem sece-

secedant. Idem fieri in *T. paradoxa* narrat Cel. RETZIUS, (vid. Obs. bot. Fasc. II. Mom. 81.). Ceterum anthera, ubi tubum sicut perfecte continuum, ore tamen supremo in quinque dentes subinde ampliatur.

**Pistillum** Pars fructificationis per totum hoc genus maxime memorabilis, cum omnium maxime variet. Nunc spuriū est, nunc genuinum; modo hanc, modo illam, formam induit, eaque ratione innumeris erroribus ansam dedit, & omnes fere botanicos hactenus de genuina hujus generis natura mire sefellit. In charactere supra propo-  
fito satis perfecte delineatum est, quantum verbis, quae universalem tot variarum specierum ideam exprimere de-  
berent, fieri potuerit. Germina spuria & fertilia non ad-  
modum initio floris inter se dissimilia sunt, cito autem  
hæc antecellunt, tumida & pleniora evadunt illis, quæ  
contra concidunt & marcescunt. Stylus in Hermaphro-  
ditis non admodum longus est, definit autem semper in  
stigma filo aliquantum, sed non semper æquali mo-  
do, crassius. In *Petasite* valde crassum est & clava-  
tum, summo apice emarginatum, in *Farfara* integrum,  
in *alba*, *paradoxa* & *spuria* in duas laminas lanceolatas  
divisum, nisi quod in *spuria* hæc vulgo cohærent adeo,  
ut vix in statu florescentia separari patientur, quamvis  
divisio rima pellucida notetur. In *frigida* item duplex  
est, partibus teretibus pubescentibus. Simile fere *alpina*  
exhibit. Hæc sunt stigmata florum hermaphroditorum.  
Feminarum autem stigmata longe aliter comparata sunt.  
Sed hæc vulgo minus variant illis. Divisa horum sin-  
gula sunt, itemque tenuia & saepe nigricantia; vix tamen  
hæc *confitans nota* est; in *spuria* absolete bifida sunt. Ob-  
tantam varietatem hujus partis Cel. VILLARS (\*) eam,  
B quam-

(\*) Act. Soc. Hist. Nat. Paris. I P. Paris 1792 p. 75.

quamvis minutam & fugacem, solam pro nota singularum specierum diagnostica sufficere arbitratus est. Stylus flosculorum feminorum multo magis elongatus vulgo est, quam stylus hermaphroditorum. Ita saltem comparatus est in *T.*, *alba* ubi triplam tubi longitudinem, itemque in *spuria*, in qua ligulam adaequat. In *Petasite* stylo hermaphroditi flosculi brevior est. In *Farfara* ad medianam ligulam raro extenditur. In *frigida* ligulae longitudinem modo attingit modo superat.

*Semina.* Neque haec singulis speciebus eadem sunt & similia; *T. nutanti* angulata sunt, teste Cel. SWARTZIO, *alpine* levia, observante SCOPOLIO, ceteris fere omnibus striata.

*Pappo* simplici & omni stipite orbato vulgo coronantur, licet hoc assertioni per omnes Libri Linneani, Genera Plantarum nuncupati, editiones, repetitae repugnet. Unde autem ille error profectus sit & quo pacto tam diu potuerit propagari dicere non ausim. In *T. nutante* quidem & *albicante* stipitatus esse fertur, forsitan item est in ceteris binis Americæ calidioris speciebus *pumila* ac *dentata*. Sed haec quatuor vix pro veris Tusfilaginibus habendæ sunt, ut in sequentibus demonstrabitur. In omnibus autem reliquis, tam antiquis, quam novis hujus generis speciebus, omni stipite caret. Simplicem se, nudo tantum oculo, fistit, lente vero vel debilissima armato, pilis lateralibus plumosius conspicitur. In hermaphroditis flosculis frepe spuriis, rarus & minutus est, in feminis densior multo & magis elongatus.

*Receptaculum* universo generi nudum, & pro flosculis recipiendis foveolatum, quibus in *Farfara* brevisimum pedicellum subtendit.

## §. V.

*Succinctam generis historiam enarrat.*

Solum omnes fere *Tusfilagines*, saltem europææ, udum aut subhumidum appetunt, certum aquilegis signum præbentes. Riperas sepe fluviorum argillolas incolunt & firmant, neque hortos ingredi recusant, ubi tamen radicibus suis late serpentibus, flores & folia pasim emittentibus, vicina sata infestant. Noli itaque aliis stirpibus inferere loca poscentes separata, ubi liceat illis libere ac sine noxa exsiliari. Hactenus tamen *Petasites* ex hoc genere sola inter hortorum ornamenta, minus forte propter flores speciosos, quam tempestivos, accepta fuit, cum hi, pariter ac ceteri omnes hujus generis flores, inter primitias veris numerantur. Colorem varium variae assument eundemque aut purpureum, aut luteum, aut flavum, aut rarius album. Purpureæ sunt: *T. nutans*, *discolor*, *alpina*, *filvestris*, *frigida*, *rubella*, *hybrida*, *Petasites*. Lutescentes: *Farfara*, *lutea*, *alba*, *radiata*, *fragrans*, *nivea*, *spuria*, *paradoxa*, *japonica*. Albæ: *Anandria*, *nana*, *fibirica*. Florem omnes scapo sustinent, nisi excipere velis *T. filvestrem*, quam folia in scapo gerere inepte dicunt autores, nobisque ideo necesse fuit caulescentem vocare. Fulcrum hoc crassum communiter est, fistulofum & suci plenum, paucisque speciebus, iisque foliis indicis, exceptis, bracteis seu squamis, nunc latioribus & vaginantibus, nunc angustioribus, in rudimentum folioli saepè abeuntibus obvolutius. Tota planta, flore nonnunquam & squamis scapi exceptis, tomentum densum, album, indnere saepè amat, imprimit ad inferiorem foliorum paginam; idem tamen nonnullæ exuunt; exempla sunt *T. frigida* & *alpina*, quæ illo, modo obduci, modo carere solent, quare illud ad differentiam specificam constituendam parum valere arbitratus sum, ideoque plane neglexi. Folia, quæ floribus sem-

per succedere solent, simplicia singulis sunt, licet interdum, rarisime tamen profunde, divisa; marginem dentibus callosis fuscis saepe munire consuecant, in magnam vulgo latitudinem excrescere solita. Sapor totius herbæ amaricans est. Odor, in T. fragrante & frigida laudatur, in ceteris vulgo fatuus deprehenditur aut fere nullus. Aetatem omnes plurium annorum, exceptis foliis indicis, nescio an singulis, attingunt, radice facilis multiplicandæ, quam semine. Ad patriam singularum quod attinet, nisi omnium climatum, omnium tamen Zonarum indigenæ sunt. Calidas Americæ partes inhabitare *nutantem, dentatam, pumilam, & albicantem* discimus. *Frigidam* frigidæ Zonæ incolam esse ex itineribus per patriam institutis novimus. Ceteræ omnes Zonæ temperatae alumnae Europam aut Asiam frigidorem aut Americam septentrionalem incolant; Africam, quantum adhuc constitit, nullæ. Svecicæ hactenus detectæ sunt: *alba, Petasites, Spuria, Scaniæ incolæ, Frigida* Lapponie Finlandiæque alumna; & *Farfara* ubique ferre proveniens. Rationes quæ adsunt suspicandi, & *hybridam, & paradoxam* in Scania inveniri, suo loco adferre haud intermittam.

## §. VI.

### *Usum exponit.*

Ex quinque *Tusfilaginum* speciebus, quas alit patria nostra parcus sane admodum redundat usus, saltem in Oeconomia. Flores, in primis *Petasitis*, vernalem apibus, & avide desideratam, messem præbent. Ex *Farfara* somitem haud contemnendum, eo modo præparari docet *Stapelius &c.* ut e radicibus autumno evulsis auferatur lana fusca eas vestiens, quæ depurata & linteo obvelata coquatur paullisper in lixivio, & postea siccetur. Uberior autem usus hujus herbae in Medicina.

cina. Ab antiquissimis enim temporibus in omnibus pectoris affectionibus pro egregio medicamento habita fuere hujus radix, herba & flores, varias medicaminum formas, ut infusa, decocta, conservas, syrups, linctus & tabellas ingressa. Foliorum siccorum fumum, tabaci more haustum, antiquissimorum perinde ac nostrarium, tussi & asthmate laborantium, vulgaris medicina fuit. Herba tota amaricans est, odores fere expertis, communique cum ceteris ejus ordinis plantis proprietate pollet crassos humores in corpore diluendi, functiones varias naturales concitandi, partesque solidas vi sua adstringente roborandi; haec cum ita sint, mirum certe non est eam in debilitate viscerum variisque lymphæ ceterorumque humorum affectibus acceptam suisse medicinam; contra vero admiratione certe dignum, frequentiorem hodie non esse usum hujus medicamenti de cuius virtute, ex instituta principiorum radicis hujus exploratione chemica, indeque deprehensa cum radice Taraxaci maxima similitudine, doctissimus CARTHEUSER tam auspiciatum tulit jurlicium, ut non dubitaverit praticos hortari alteram in alterius locum tute ac *citra ullam deliberationem subrogare* (\*): Idque eo majori jure eum fecisse persuasi esse possumus, quo efficaciam hujus stirpis in affectibus corporis humani pertinacissimis egregia postea documenta confirmaverint, ut in hectica febre, etiam diarrhoea colliquativa comitata, quam infusum hujus herbæ, præcipiente Percival, feliciter superavit (\*\*). Eximium quoque remedium antiscrophulosum, testibus FULLER, CULLEN, GIRTANNER & HUFELAND, præbent foliorum tam succus quam decoctum saturatum. Scrophulas scrophulosaque ulcera item crustam lacteam sanavit MEYERUS unciis tribus foliorum Farfaræ in

(\*) Fundam. Mat. Med. Sect. XIII. Cap. V.

(\*\*) Sammlung für prakt. Aerzte. 2 B.

libra aque ad sex ejusdem uncias decoctorum, additis Looch de Farfara uncis duabus (⁹); idemque refert alium medicum tineam capitis debellasse eō; andem foliorum decocto (⁹⁹). Externe quoque folia adhibentur in cataplasmate emolliente parti inflammatim imposito, eaque vino ante decoqui dudum justis HIPPOCRATES. Nuperrime Cel. NOCCA ex Italia scripsit, illa a mulieribus ibidem mammis intumescentibus cum emolumento imponi (⁹⁹⁹). Praeter Farfaram nulla, ex generc Tusilaginum, planta officinas Pharmacorum ingressa est, excepta unica Petalite; hujus autem laudes olim maximae fuere, quippe quæ ipsi pesti, dirissimo morbo, opponebatur. Qualitate cum Farfara multum convenit, Radix enim, sicut illius, amara est sed plus habet aromatici. Sudorem præcipue pelijt, qua propter olim inter præstantissima alexipharmacæ relata fuit. Natratur etiam podagram sanasse eadem, eximia certe, qua pollet virtute sudorifica, ipsamque Epilepsiam, tonica forte vi- lua, quæ haud mediocris est, nonnunquam superasfle. Nostris temporibus usus ejus fere evanuit, idque immē ito omnino, cum forti et penetrante vi sensus afficiat, unde validam in ea latere varios morbos profligandi potestatem, probabile est.

Cum plurimæ, praeter binas jam memoratas Tusilaginum species, saporem habent itidem amarum, credibile est, ut easdem quoque virtutes possideant, quamobrem in iis regionibus, ubi ceteræ deficiunt, præalentaneam, & vix forte inferiorem, medicinam earam in loco præbere posse videntur.

## §. VII.

(⁹) Looch de Farfara constat secundum Ph. Wurtemb. ex pulpa radicum coctarum eribrata & melle junctim coctis.

(⁹⁹) BALDINGERS N. Magaz. 7 B.

(⁹⁹⁹) USTERI Ann. d. Bot. V. p. 19.

## §. VII.

*Etymologiam & nomina docet.*

Tusfilaginis, ut Plinio audit, & Bechii, ut Dioscoridi, nomen, utrumque derivatum a morbo, cui mederi solebat, Farfara nostra apud veteres adepta est, commune cum salvia officinali, ut patet a descriptione hujus in scriptis Apuleji & Plinii obvia. Farfaram & Farfarellam eandem vocavere posteriores, inque his primus tere Caelalpinus, ob similitudinem certe foliorum cum foliis Populi albae olim farfari nomen gerentis, quod utrum altera ab altera, vel utraque a flumine sabinorum farfara, cui forte conterminæ fuerint, vel a farre, ob candorem, mutuatæ sint, non facile est dictu. Populagine etiam appellatam esse fertur ob eandem rationem; hanc tamen appellationem Calthæ palustri, que etiam Tusfilago vocata fuit, proprie competitissime, docet nos non sine veri similitudine Rizax Bauhini. Ungulam caballinam & asinianam Tragus secundum Brunsfelsium dixit, versione certe nominis Rosshuf, quo præter, vulgarius Huflattig, apud germanos appellatur. Latissimæ foliorum formæ petaſum referenti nomen, Dioscoridi familiare, Petasites debet, quam Chamæleuen Plinii esse non inepte conjicitur, cum moneat secus fluvios naſci, folio populi sed ampliori, & apud Italos Farranum sive Farfugium vocari. Propter flores foliis præcociores cognomine Filii ante Patrem Farfara appellari solita fuit.

Audit insuper hoc genus, & quidem Farfara: *Hispanis.* Unia d'afino. *Italis.* Farfaro & Farfanella. *Gallis* Pas d'Ane, Pas de Cheval, Pacconnet, l'Herbe de St. Querin. *Anglis* Coltsfoot. *Belgis* Hoefblad, Hoeflatouw, Paardenklaauw. *Germanis* Hullattig, Rosshuf, Brandlattig. *Svecis* Hästhof. Petalitem & hybridam vocant. *Galli* Chaperroniere,

nier, Glouteron, Herbe aux teigneux. *Angli* Butterbur,  
*Belgi* Dokke-bladen, Pestilentie kruid. *Germani* Pestilenz-  
wurzel. *Sveci* Pestilentie rot.

### §. VIII.

#### *Inventores, historicos & statores generis recenset.*

Sex tantum in Pinace Theatri botanici C. BAUHINI enumeratae sunt, primumque in al'quem ordinem dispositae hodier-  
næ *Tusilaginum* species, puta *Farfaram*, antiquis notam,  
*Alpinam* & *Discolorem*, opera Clusii in alpinis & Pannonia  
detectas, utrisque in nuper memorato libro, *Tusilaginis* no-  
mine confociatis, & *Petasitem*, antiquis itidem familiarem,  
cum nominis locia *T. alba*, ejusdem Clusii ope in lucem pro-  
lata, *Frigidamque* Cacalizæ tomentosæ nomine a detectore eo-  
dem BAUHINO donatam. Post saeculum fere *Japonicam*, sub ti-  
tu o Dorenici *Tusilaginis* folio, iconè illustratam PLUKENETIUS  
ex Amaltheo addidit. Circa idem tempus primam ex America  
*Tusilaginem*, postea, cum eam videre LINNEO contigit, *Nu-  
nantem* vocatam, SLOANIUS e Jamaica reportavit, ejusque ima-  
gine Historiam, quam edidit, Jamaica insulæ ornavit, addito  
nomine: Dens leonis folio subtus incano, flore purpureo. Neque  
ulla specie ulterius auctum fuit hoc genus, antequam DILLE-  
NIUS *Tusilaginis hybride*, ex horto Sherardi Eithamensi deprom-  
ta, Rajoque dudum perspectæ, figuram & descriptionem naturæ  
enjosis exhibuit. Eandemque patuos post annos III. LINNEUS  
noster, junctis his omnibus, quotquot viderat, sub unum genus  
speciebus, quæ ante, abbitro TOURNEFORTIO, sub duobus generi-  
bus militaverant, *Tusilaginis* scilicet *radicatae*, & *Petasitis* *Dis-  
coideæ*, jactisque solidioribus totius scientiæ botanicae funda-  
meutis, in hortum, quem delineavit, Cliffortianum introdu-

xit, posteaque Upsaliam redux *Anandriam* Sibiriae leastam, in  
que vanam istorum fundamentorum confundeliam, ab oppugna-  
tore Siegesbeckio ita vocatam, dissertatione academica pro-  
fuit, rudi subjuncta iconē, cuius melius exemplar, una cum  
succincta descriptione, libro: *Horto Upsaliensi*, tertio post an-  
no, adnexuit, annoque sequenti, opera GMELINI, qui iter per  
Sibiriam fecerat, editus est libri *Florae Sibiricæ Tomus secun-  
dus*, ubi octo delineantur, inque iis quinque novæ, *Tusfila-  
ginum* species, earum regiennū incolæ, quarum una dudum  
a Linneo pro mera varietate T. *Anandriæ* declarata fuerat,  
ceteræ autem omnes nunquam ab eo receptæ aut nomine tri-  
viali donatæ erant. Licet enim adeo decem & quinque hu-  
jus plantæ species re ipsa a variis botanicis recensite fuissent,  
liber tamen Linneanus, cui titulus *Species Plantarum*, pau-  
lo post primum editus, plures septem hujus nominis plantis  
non enumerat, *alpina* scilicet & *discolori* in unam junctis,  
neque visis adhuc forte quinque Sibiricis nuper memoratis,  
nec *japonica*; hanc demum Mantissæ plantarum primæ inse-  
ruit. Deinde libro *Specierum Plantarum iterum edito* *Tusfi-  
laginem dentatam*, speciem Americanum imperfecte examina-  
tam, operaque PLUMIERII delineatam, ac *nutantem*, de qua  
supra monuimus, opera BROWNII & PLUMIERII ulterius illu-  
stratam, unaque cum aliis plantis Jamaicensibus dissertatione  
academica (\*) dudum indicatam, prioribus associavit. *Tusfi-  
laginis alpinæ* alteram, ad judicium Linnæi, varietatem, olim  
a CLUSIO & BAUHINO, ut supra docuimus, distinctam, Cel. JAC.  
QUINUS in *Flora austriaca*, anno 1775 & seqq. edita, primus  
*discolorem* sicut, ejusque iconem cum iconē alias speciei,  
anno præcedente a Scopoli in *Floræ Carn.* ed. 2' primum vul-  
gare, & *silvestris* dictæ, subjuncta utriusque descriptione, ex-

(\*) *Plantarum Jamaicens. pugillus* Upf. 1759.

hibuit. Plures decem & septem jam commmemoratis hujus generis speciebus Linneo vivente haud innotuerant. Ex iis vero decem solummodo ab illo pro veris ac distinctis speciebus *Tusfilaginis* agnitiæ fuerunt. Anno post obitum ejus, *Fasciculum Observationum Botanicarum primum*, RETZIUS, ad Acad. Lund. Botanices tunc temporis Demonstrator, nunc Professor Celeberrimus, typis vulgavit, inter alias plantas speciem quoque hujus generis, *Scaniæ* alumnam, descriptione & icone delineatam, *spuriamque* dictam, complexum, cui binos post annos aliam lunili modo, in secundo earundem Observationum Fasciculo, adumbratam, ex horto, cui praest, addidit. Eodemque anno Nob. Linneus Filius plantam Jamaicensis, *Leontodon tomentosum* nominatam descriptamque, inter ceteras Supplementi a se editi novitias, prodidit, postmodum a Cel. SWARTZ (°) ad consortium *Tusfilaginum* amandatam, nomineque *albicantis* donatam, ad sociata nova ejusdem generis & insulæ planta, *pumilæ* nomen adepta. Anno proximo, iterum nova hoc genus augebatur specie, primaque septentrionali-Americanæ, nomine *palmatæ*, Catalogo Aitoniano Horti Kewensis, cuius per duodecim annos dudum alumna fuerat, cum imagine, inserta. His omnibus, una cum ad sociatis quinque Floræ sibiricæ supra memoratis, *nana*, *sibirica*, *rubella*, *lutea*, & *radiata* vocatis, fola *albicante* sub antiquo *Leontodii* genere, errore forte, retenta, Cel. Goettingensium Professor GMELIN novam, quam ante paucos annos curavit, Systematis Linneani editionem ornavit, numero viginti & una speciebus. Post illum librum editum binæ adhuc species ad notitiam botanicorum pervenerunt, idque auxilio D:ni VILLARS Professoris Gratianopolitani Cel., qui brevem hujus generis monographiam in Act., Soc. Hist. Nat. Paris. Tom. I, cum iconibus novarum litteris confignavit, *fragrans* nimirum & *nivea*, utraque Galiae incola.

Auctio.

Auctisibus jam commemoratis, omniū, quotquot hacten  
nus innotuerunt, Tusilaginum specierum primam notitiam  
debemus, eamque postea alii adumbrationibus & observatio-  
nibus pasim obviis ulterius auxerunt, quorum nu-  
mero, præter ceteras Materiæ Medicæ & Florarum va-  
riarum regionum scriptores, Cel. BERGIUM merito referimus,  
qui Farfaram & Petasitem in sua Mat. Med. plene satis & ex-  
acte delineavit. Dissertationem quoque Medicam de Farfara  
Cl. LEYSELUM scripsisse legimus, sed ipsam non vidimus. In-  
ter botanicos autem, qui hoc genus illustrarunt, præ ceteris  
eminet clarissimus, dum in vivis erat, Bot. Reg. Fr. EHRIHART,  
qui suis *Beyträge zur Naturkunde* P. III. p. 64 & seq. obser-  
vationes in varias hujus generis species summa industria fa-  
ctas inferuit, quibus, præter suspicionem, quam se fovere signi-  
ficat, T. Farfaram esse plantam non superflue sed necessarie po-  
lygamam, ostendere egregio successu conatus est, T. Petasti-  
tem non nisi alterum sexum efficere eundemque masculinum  
plantæ, cuius semina T. hybrida existit, eundemque morem  
observare T. albam, quæ duplicem vulgo faciem præfert, aliis  
scilicet speciminibus solos flosculos hermaphroditos spurios,  
aliis meros fere femineos explicantibus; itemque T. parado-  
xam & spuriam Cel. RETZII unam eandemque speciem esse si-  
mili modo ambiguam. Eademque viro meritisimo T. frigidie  
nostræ meliorem notitiam acceptam referimus, unde suspica-  
ri licet, fructificationem illius pariter esse comparatam.

Ex hoc colligitur, item adhuc sub judice pendere, an sin-  
gulas, quas supra commemoravimus, viginti quattuor Tusila-  
ginis species inter se pro vere distinctis habere debemus.  
De hac re ut aliorum judicia sic & nostram qualemque  
fententiam suo loco in sequenti hujus dissertationis parte pro-  
ponere licebit. Interea singularium specierum seriem metho-  
dicam, notis magis forte distinctis, quam quæ antea propositæ

fuerunt, e cujusque speciei proprietate elicitis, sibique mutua  
ita adaptatis, ut differentiam, nisi plane specificam, saltem,  
quantum fieri potuit, claram exhibeant.

### §. IX.

*Seriem Specierum, cum differentiis emen-  
datis, exhibet.*

#### 1. *Scapo unifloro, nudo.*

- dentata* 1. T. foliis lanceolatis, dentatis, villosis.
- albicans* 2. T. fol. lanceolato-ovatis, subtus tomentosis, ob-  
solete retrorsum ferratis.
- vulans* 3. T. fol. lyratis, flore nutante.
- pumila* 4. T. fol. lyratis, flore erecto.

#### 2. *Scapo unifloro, squamoſo.*

- Anandria* 5. T. fol. lyrato-ovatis, calyce clauso.
- nana* 6. T. fol. lyrato-ovatis, calyce subaperto.
- sibirica* 7. T. fol. ovato oblongis, sinuato-dentatis.
- Farfara* 8. T. fol. cordatis, obsolete-lobatis, denticulatis.

#### 3. *Scapo unifloro, subnudo.*

- discolor* 9. T. fol. orbiculatis, crenatis, supra lucidis, subtus  
tomentosis.
- alpina* 10. T. fol. cordato-orbiculatis, crenatis, utrinque  
viridibus.

#### 4. *Caule adscendente, sub unifloro.*

- silvestris* 11. T. fol. cordato orbiculatis, incisis, lobatis.

5. *Scas-*

5. *Scapo multifloro, squamoſo; thyroſo  
corymboſo* (\*).

- |                 |  |
|-----------------|--|
| <i>palmata</i>  | 12. T. fol. palmatis.  |
| <i>frigida</i>  | 13. T. fol. ſinuatis, floribus discoideis.   |
| <i>rubella</i>  | 14. T. fol. ſubcordatis, angulatis, floſculis pluri-<br>mis hermafroditis.                       |
| <i>lutea</i>    | 15. T. fol. cordato - orbiculatis, dentatis, floſculis<br>plurimis femineis.                     |
| <i>alba</i>     | 16. T. fol. cordato - orbiculatis, floribus discoideis.  |
| <i>radiata</i>  | 17. T. fol. cordato - orbiculatis, dentatis, floribus<br>radiatis.                               |
| <i>fragrans</i> | 18. T. fol. cordato - orbiculatis, acute crenatis, flo-<br>ribus radiatis.                       |
| <i>nivea</i>    | 19. T. fol. haftato - cordatis, ſinuato - dentatis.  |
| <i>puria</i>    | 20. T. fol. denticulatis, ſagittatis, floſculis herma-<br>phroditis plurimis, antheris coalitis. |

6. *Scapo multifloro, squamoſo; thyroſo racemoſo.*

- |                 |   |
|-----------------|---|
| <i>paradoxa</i> | 21. T. fol. ſagittatis, acute dentatis, floſculis her-<br>mafroditis paucioribus, antheris liberis. |
| <i>hybrida</i>  | 22. T. fol. cordato - orbiculatis, floſculis plurimis<br>femineis.                                  |

Peta-

(\*) Thyrſus, qualis ab Ill. LINNEO in Phil. bot. & affeclis definitur, ſuperfluum nomen eft, neque ullius ſpeciei intra hoc genus florendi modo applicabile. Nunquam quoque in iis faſtiſtatiſ dici potest. Nobis autem hic Thyrſus audiſ genus inſtorescentiæ, cuius ſpecies panicula, racemus & corymbus ſunt ita, ut earum modo unam, modo alteram exhibere poſſit, nec certam legem obſervet. Thyrſus vero racemosus nobis habitum gerit racemi, corymboſus corymbi, hujus ſcilię pedicellis tere æqualibus, illius inferioribus longioribus.

*Petasites* 23. T. fol. cordato-orbiculatis, flosculis plurimis  
hermaphroditis.

7. *Scapo multifloro, nudo.*  
*japonica* 24 T. floribus majusculis, fol. cordato-orbiculatis.

### §. X.

#### *Particulam claudit.*

Expositis in praesenti opusculi particula universalioribus generis, de quo egimus, momentis, peculiarem cuiusque speciei pertractionem, eum criticam, tum historicam alteri illius parti reservamus. Filium enim commentarii hic abrumpere jument partim angustia temporis, partim defectus observationum, quas si ulteriore examine perficere sine augere dabitur, eas cum orbe botanico eo libentius communicabimus, quo ejus modi observationibus nihil certe magis conductit ad veram plantarum notitiam comparandam, easque dignoscendi methodum adeo limandam, ut errores, quibus jam scatet numerosissimus, sentim dipareant, & verum ac fidele naturae sedata toribus exhibeat instrumentum, cuius ope mæandrum hunc, tot variis ansfractibus ancipitem, tot dolosis ludentem ambagibus, tute aliquando perlequi liceat.

